

IV. Ut à Publica Potestate, pro perfecta Communitate feratur.

Potestas præcipiendi est duplex, Privata nimirum, & Publica. Prior dicitur etiam Oeconomica & Dominativa, daturque in Patre ad Filium, in Viro ad Uxorem, in Domino ad servum...

II. Lex debet ferri à potestate publica. Ratio est. quia Lex per se primario respicit Bonum Commune, ad quod procurandum, & conservandum ordinatur...

Et quidem à Suprema & independente potestate publica debet Lex provenire, vel saltem ab hac debuit potestas ferendi Leges fuisse concessa potestati subordinatæ & dependenti...

Nec obstat, quod Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. Pro Legibus ferendis duplicem potestatem agnoscat, Paternam scilicet, & Politicam. Siquidem Scotus loquitur de potestate ferendi Leges tam proprie, quam improprè dictas...

III. Lex debet ferri pro communitate perfecta. Ita Scotus in 1. dist. 44. quæst. unic. & Alii communiter. Ratio est: 1. quia Lex etiam in hoc differt à præcepto, quod præceptum uni possit imponi, Lex verò omnibus...

Dictum est, quod Lex debeat ferri pro communitate perfecta, id est, pro tali communitate, quæ sibi ipsi sufficit ad comparandam felicitatem humanam, & quæ sortitur nomen Reipublicæ, estque capax politicæ gubernationis...

Ubi tamen advertit Herinx hic num. 3. quod nomine communitatis perfectæ non veniat necessario integra collectio omnium hominum in Regno, Provincia, aut civitate commorantium...

bus, Personis Ecclesiasticis &c. quia talis Lex per se, ab intrinseco, & ultimate bonum commune respicit, & totam communitatem obligat, ne à similibus Personis ad legem transgrediendam cooperetur.

Advertit etiam P. Frassen disp. 1. quæst. 2. num. 6. legem ferri pro communitate, non abstractè sumpta, & prout supponit simpliciter, sed prout supponit absolute, id est, tam pro se, quam pro membris sui constitutivis...

IV. Quænam sit convenientia, & differentia inter Legem, & Præceptum; Nam lex cum præcepto, seu mandato convenit in hoc, quod & illa & istud inducant obligationem aliquid ponendi, vel omittendi...

Dixi: Communiter præceptum, seu mandatum expirare morte Mandantis, nam mandatum non expirat morte mandantis. I. Si sit ad pias causas; ut si quis mandavit dari Eleemosynas. II. Si sit favorabile doti matrimoniali, vel alicui Scholastico. III. Si Mandatarius jubebatur aliquid exequi post mortem; aut ante, vel saltem post mortem.

Dixi: Communiter præceptum, seu mandatum expirare morte Mandantis, nam mandatum non expirat morte mandantis. I. Si sit ad pias causas; ut si quis mandavit dari Eleemosynas. II. Si sit favorabile doti matrimoniali, vel alicui Scholastico. III. Si Mandatarius jubebatur aliquid exequi post mortem; aut ante, vel saltem post mortem.

QUÆSTIO III.

De Divisione, Causis, Effectibus, & Actibus Legis.

SUMMARIUM.

- 32 Lex ut sic dividitur in Naturalem, & positivam; Hæc in Divinam, & humanam &c.
34 Item in affirmativam, & negativam;
35 In favorabilem, & odiosam.
36 Quid sit Lex DEI æterna;
37 Causæ Legis sunt Quatuor.
38 Effectus Legis sunt tres.
39 Actus Legis sunt quatuor, præcipere, prohibere, punire, & permittere.
40 Qualiter isti actus dicantur esse actus legis?

ASSERTIO III.

Lex ut sic dividitur in Naturalem, & Positivam; Positiva in Divinam, & Humanam; Divina in veterem seu Moysaicam, & novam seu Evangelicam; Humana in Ecclesiasticam, & civilem; Causas numerat quatuor; Effectus tres; Actus iidem quatuor. Et Communissima DD.

S. I. Lex ut sic dividitur.

Immediatè in Naturalem, & Positivam, Ratio est: quia omnis obligatio passiva stabilis oritur, vel ex natura actus, vel ex speciali jussione, ac libero mandato legitimi Superioris cum intentione itabiliter obligandi...

Lex Divina positiva rursus duplex est, nimirum vetus, & nova. Lex vetus est, quam dedit Deus Moyse, per ministerium Angelorum in monte Sinai, & per Moysen populo Israelitico; qua de causa etiam à Moyse tanquam sui promulgatore, denominata est Moysæica.

Lex Humana subdividitur in Ecclesiasticam, quæ nimirum fertur à potestate Ecclesiastica, v. g. à Papa, ab Episcopis &c. & in Civilem, quæ fertur à potestate sæculari, v. g. ab Imperatore, à Regibus &c.

Dividitur præterea Lex in Affirmativam, quæ directè (nimirum ex fine, quem immediatè respicit) præcipit positionem actus, v. g. Diliges Dominum Deum; & in Negativam, quæ directè intendit omissionem alicujus actus, verbi gratia. Non furum facies. Ubi adverte, harum Legum distinctionem in praxi malè colligi ex vocabulis, quibus proferuntur: rectè verò ex fine, seu objecto, in quod legislator directè fertur.

Dividitur denique Lex in favorabilem, & odiosam. Favorabilis est, quæ principaliter fertur in alicujus favorem: licet in alterius odium redundet: Odiosa est, quæ principaliter fertur in alicujus odium, vel penam, quamvis etiam cedat in alterius favorem.

S. II. Lex Dei Æterna

Non est nobis numerata inter membra, legem, ut sic dividenda; quia proprie accepta, & ut obtinet veram rationem legis à lege Divina naturali, vel positiva non distinguitur; cum sic accepta, & ipsa sit actus Divinæ voluntatis, quo præcipiuntur bona, vel mala prohibentur, sive necessario, sive libere: quo in sensu præcipuus illius assertor est Sanctus Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 27. dum peccatum definit, quod sit dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam.

Quod si verò Lex Dei Æterna sumatur pro ipsa Dei Sapientia, & Providentia, prout dirigit actus, & motiones creaturarum quarumcumque in suos fines, in quo sensu dicitur Deus Legem posuisse aquis, ne transirent fines suos proverb. octavo in numerum Legum proprie dictarum veni-

re nequit, cum in ea acceptione etiam extendatur ad creaturas inanimatas; quibus tamen lex proprie dicta imponi non potest, sicut nec brutis ob defectum libertatis in operando. Unde eam, & hoc posteriori modo acceptam, in Legum, de quibus hic, divisione consulto præterivimus.

S. III. Causæ, & Effectus Legis.

Causæ Legis communiter numerantur Quatuor: Videlicet materialis, formalis, efficiens, & finalis. Materialis ex qua lex educitur, & in qua recipitur, est ipsa Legislatoris voluntas: cum enim lex, ut supra dictum, formaliter consistat in actu voluntatis legislatoris obligantis subditos, necessarium est, ut idem sit subiectum, atque eadem causa materialis ex qua legis, quæ est actus legislatoris.

Effectus Legis sunt tres. Primus est subditos objective dirigere in ordine ad bonum amplectendum, & malum fugiendum; cum enim lex sit Regula actionum humanarum: munus autem Regulæ sit objective dirigere activè: ergo objectiva directio passiva erit effectus legis.

Secundus legis effectus est obligare subditos: cum enim, ut supra dictum, lex dicatur à ligando, quatenus per eam subditi adstringuntur ad aliquid faciendum, vel omittendum, obligatio passiva subditorum erit effectus legis: nam, si obligatio, sicut & directio sumantur activè, sunt ipsa lex: ut consideranti patebit. Quod etiam verum est de Lege permittente? quia, & ipsa dirigit, ac obligat tum subditos, ne quempiam, actum lege permissum exercere volentem, impediatur; tum judices, ne in similem dictatione pænæ animadvertant. Unde licet dispositio Superioris, qua subdito aliquid permittit, non sit lex, qua parte respicit eum, cui fit aliqua permissio: est tamen lex, in quantum respicit alios, quos prædicto modo obstringit. Tertius legis effectus est, facere bonos subditos: Cujus rationem Doctor Angelicus hic quæst. 92. art. 1. affert hanc: Quia lex eò tendit, ut (quantum est ex se) subditos faciat sibi obediens; ergo, ut eos faciat bonos: cum subditorum propria virtus, per quam fiunt boni, consistat in eo quod bene obediatur legi, sicut propria Principis virtus sita est in eo, quod bene imperet subditis, ergo bonos facere subditos est effectus legis.

S. IV. Actus Legis

Sunt præcipue Quatuor, nimirum præcipere, prohibere, punire, & punire. Ratio est: Quia actus legis versantur circa actus humanos; ergo tot erunt actus legis quot sunt differentie actuum humanorum atqui hi, vel sunt boni, & sic per legem præcipiendi, vel sunt mali: & sic per legem prohibendi, antequam fiant; si tamen committantur, per legem sunt puniendi. Lex enim efficaciter actus bonos præcipere, malosque prohibere non potest, nisi subditos formidine pænæ posset inducere ad bonum, & retrahere à malo: vel denique sunt indifferentes, & sic erunt per legem permittendi.

Premiare tamen non est actus legis, quia præmiare potest quicumque, etsi non sit Superior; nec verò etiam obligat. Permittere autem est actus legis; tum quia obligat ex consequenti, ne quod permissum est, impediatur, tum quia Superioris est permittere, cum posset talem actum, vel præcipere, vel prohibere.

Hic tamen duo advertenda sunt. I. Quod permittere quidem non raro idem sonet, ac concedere, nihilominus in rigore latius patet: nam non omne, quod est permissum, etiam censetur concessum: siquidem concessum in moribus dicitur, quod est licitum, & hoc modo permittuntur, ac conceduntur actus indifferentes. At verò permissum subinde etiam est illicitum, ut videtur id quod est magis malum; sic permittuntur meretrices ad evitanda majora peccata c. denique distinctione quarta quæ tamen non conceduntur, cum utriusque accessus ad eas sit Jure naturali illicitus, & ad culpam imputetur, esto non plectatur pœna temporali à Jure, vel homine statuta aut infligenda. Ita Krimer de constitutione numer. 310. & sequentibus.

II. Advertendum est, quod recentiori quatuor Actus activè sumpti (nam passivè sumpti sunt ipsa obligatio passiva legis)

